



ius Christianorum ἀξιωματος euincere, atque a crimine τὸ ἀδυνατὸς in primis vindicare voluissem? Instat enim Socinianus et vrget, et, quo nos cumque vertimus, persequitur, fieri, vociferans, non posse, vt Christus tamquam homo, Deus simul aeternus sit. Siue tu itaque ex hoc veritatem huius doctrinae ipsi demonstres, siue pro-
 voces ad aliud commodorum genus, quae mentem humanam flectere possint; numquam illum mouebis, semper, ἀδυνατον, clamabit, in Christo duas naturas esse. Quam ob rem vt rami non solum malorum amputandi sunt, sed fibrae etiam radicum euellendae, si totum illud atque funditus tollendum: sic explodenda quoque haecce falsitas erat, quae, vt homines imbecilli somniarunt, naturam Christi diuinam occupauerit.

§. II.

Sed defendentis officium in prima nostrae dissertationis particula bono cum Deo sustineo. Volo enim diuinitatem hominis a crimine τὸ ἀδυνατὸς liberare. Non itaque tam vera sunt inuenienda, quam falsa conuincenda; siue vt mentem meam meumque, quod hic erat, officium adpofite declarem, sic, arbitror, hic disputandum esse, vt magis confutem argumenta Socinianorum, quam producam, cur homo simul Deus esse queat. Nam hoc, vt ego sentio, Theologi iam exquisitis rationibus, magis tamen rerum euentis, id est, scriptura sacra moniti, quam ratione docti,
 pro-